


MENSIS SEPTEMBRIS

Die Martis

Iam primum omnium, aliquid clarandum est: Hic LIBELLUS COMMENTARIORUM est, non "diarius"! Quamvis mater voluerit ut "libellus diarius" vocaretur, vobis affirmo me OMNINO matrem meam vetuisse ne libellum eo titulo vocaret.

Me miserum! Timeo ne nescio quae vappa, si conspexerit me "libellum diarium" gestantem, me derideat.




Adde quod non ego ipse sed MATER MEA voluit me in hoc libello scribere.

Sed Mamma insanit si expectat me "affectus mei animi" in eo scripturum. Ergo noli expectare me scribere blanditias tamquam "care libelle" cum sententias refero in hoc libello.

Ut verum dicam, unum tantum suasit me ut scribam hic intus: cum equidem dives et celebratus ero, res maioris momenti habebam faciendas quam hominum rogationes universum diem respondere. Qua de re hic libellus haud inutilis erit.



Aliquando certissime celebrabor, ut dixi, sed nunc circumdatus sum turba caudicum.



Nihil stultius, mea quidem sententia, umquam excogitatum est quam schola media. Nam scholam huiusmodi frequentant et pueri qui primam adolescentiam nondum attingunt et gorillae pilosae quae bis in dies barbam radere debent.



Quibus in condicionibus, minime investigandum est a peritis quare fortiores procaciter lacessant debiliores in schola media.

Si ego hac de re rogabor, dicam alumnos dispertitendos esse iuxta staturam magis quam aetatem. Ex altera vero parte, si hoc factum sit, pueri sicut Chiragus Gupta etiam nunc primum gradum agerent.




Hodie est primus dies novi anni scholaris, et nunc praestolamur magistram donec tabulam dispositionis sedium componat. Ideo constitui me tempus consumere hoc in libello scribendo.

Obiter bonum consilium dicam: primo die scholae, praecave ne sedem malam seligas. Si conclave scholare intras et res tuas in qualibet mensa scriptoria deponis, confestim magistra dicet:




Ideo hoc in scholae spatio factum est ut Christopherus Hosey ante me sedeat et Leoninus James pone me.

Iason Brill sero venit et sessurus erat ad dexteram meam, sed in ipso articulo temporis feliciter impedi ne illud fieret.




Proxima in lectione, cum primum in aulam ingrediar, oportebit mihi sedere inter puellas pulchellas. Si autem illud facio, ostendo me anno praeterito nihil didicisse.



Nescio pol quomodo puellae se habeant his diebus. Facilius erat eas intelligere cum eramus in schola primaria. Si enim cursor velocissimus eras in classe, omnes puellae te adamaverunt.

Etenim in quinto gradu, Ronaldus McCoy velocissimus erat cursor.



Nunc autem res difficilior est. Nam maximi refert quibus vestibus induaris et quam dives sis et quam belluli sint clunes tui et ita porro. Et pueri sicut Ronaldus McCoy scabunt capita admirantes quid, malum, factum sit.

Nomen pueri praedilecti in classe mea est Bricius Anderson. Multum maereo quod puellae SEMPER mihi placuerunt, sed pueri sicut Bricius in gratiam puellarum nuperrime venerunt.

Recordor bene quomodo Bricius se gereret in schola elementaria.



Nunc autem nihil accipio pro defensione puellarum quam illo tempore praebui illis.

Bricius, ut dixi, praedilectus est puer in classe mea, ita ut ceteri alios ordines quaerant.

Ego, ut ferme existimavi, vel quinquagesimum tertium vel quinquagesimum quartum ordinem teneo hoc anno. Sed gaudio me promotum iri quoniam hebdomade insequente Carolus Davies uncinos dentales accipiet in os suum.




Haec omnia semper explicare conor amico meo Rolando (qui, ut obiter dicam, probabiliter ordinem centesimum quinquagesimum nunc tenet), sed sonus vocis meae, nisi fallor, in alteram et ex altera avolat aures.




Die Mercurii

Hodie in schola exercitum gymnicum habuimus, quamobrem ante omnia clanculum abivi ut viderem num Caseus etiamnunc staret. Et re vera fuit.



Istud segmentum Casei in tegimine bituminoso stetit usque a verno tempore exacto. Cecidit forte de pane farto alicuius. Nescio. Sed aliquos dies post, is Caseus incepit foetere et corrumpi. Nemo corbifolle voluit ludere in campo in quo Caseus iacebat, quamvis ille corbis unicus esset qui reti fuit praeditus.

Quodam die, puer nomine Darren tetigit Caesum digito suo, quo facto inditus est horridus lusus "Tactus Casei". Iste lusus haud diversum est a lusu "Cooties" vulgo dicto. Nempe si tu Tactum Casei contraxisti, eum retinebis donec alicui alii trades.



Nulla modo, nisi digitis intertextis, te protegere potes a contagione Tactus Casei.

Sed haud facile est recordari digitos tuos
intertexere omnibus et singulis minutis temporis.
Quapropter digitos meos taenia adhaesiva
circumdedi ut numquam disiungerentur. Postea, licet
notam "D" in arte scribendi tulerim, operae
pretium erat.

Quidam puer nomine Abraham Hall, Tactu Casei
mense Aprili contracto, ab omnibus intactus mansit
totum per annum scholare. Aestivo autem tempore
Abraham in Californiam migravit, auferens secum
Tactum Casei, et factum est.

Vereor autem ne aliquis Tactum Casei renovet, quia
minime indigeo hac contentione enervante.

Die Iovis

Haud possum ferias aestivas relinquere et summo
mane e lecto surgere et ad scholam quotidie
adire!

Ut verum dicam, gratia fratris mei maioris natu,
Roderigi nomine, ferias aestivas male incoavi.

Paucis enim diebus post initium feriarum, media
nocte, Roderigus excitavit me e somno. Dixit me
totum per tempus aestivum dormisse, feliciter
tamen experrectum esse ad ipsum tempus novi anni
scholaris incohandi.



Ne vero me censeas stultissimum fuisse, qui id meo
fratri crederem, scito Roderigum non solum vestibus
scholaribus indutum esse, sed etiam horologium
excitatorium meum post horam rectam ordinavisse et
meas fenestras curtinis operuisse ne viderem tenebras
foras neu summam noctem re vera esse intelligerem.

Ergo expergefactus, me vestivi et culinam petivi ut
ientaculum pararem sicut mos est meus omnibus et
singulis diebus scholaribus.

Haec autem faciens, tantum strepitum feci
ut pater meus in culinam intruperit et me
inrepuerit quod cerealem manducabam hora tertia
matutina.




Parumper valde perplexus eram.

Cum primum intellexerim quid factum esset, dixi
patri meo Roderigum mihi dolum fecisse et ILLUM
reaspe increpandum esse.

Ideo pater meus, me sequente, in cellam descendit
ut Roderigum obiurgaret. Quam avide expectabam
illam obiurgationem!



Sed Roderigus tam scite vestigia sua cooperuit ut
non dubitem quin etiamnunc pater meus opinetur
me somniavisse.



Die Veneris

Hodie in schola divisi sumus in greges lectionis.

Cum nemo tibi dicat quem ad gregem pertineas,
nescis an adnumeratus sis inter lectores callidiores
vel tardiores. Facile tamen id enodabis si bene
inspicias tegmen libri tibi commissi.



Doleo vero quod inter callidiores lectores adnumeratus sum, quandoquidem, eo facto, sequitur ut studiosius laborare debeam.


Cum probationem in facultatem legendi sustinuerim anno praeterito, omnes nervos in eam contendi ut inter tardiores lectores adnumerarer.



Mater mea amica est rectori scholae meae, ideo suspicor eam se interposuisse ut inter callidiores lectores hoc anno adnumerarer.

Mamma semper memorat me intelligentem esse, sed admonet me ut industriam maiorem in lectiones collocem.

Ac proinde si unum tantum didici a fratre meo Roderigo: quo minus laboras, eo minus alii a te exspectant.




Ut verum dicam, laetor aliquantulum quod non adnumeratus sum inter lectores callidiores.

Nam nonnullos pueros tardiores vidi qui librum sursum deorsum tenebant, atque non puto id fecisse iocose.


Die Saturni

Prima hebdomade scholae peracta, ego diutius dormivi.

Licet plerique pueri die Saturni bene mane expergiscantur ut imagines ridiculas pictas animatasque televisifice spectent, ego nihilominus perdormisco. Mea quidem sententia, nulla causa est ut expergiscar nisi ne nimis sentiam foetorem oris.



Accidit autem infeliciter ut omnibus et singulis diebus pater meus hora sexta expergiscatur et id non facit flocci quod ego volo frui requie diei Sabbati sicut sanus homo.




Quoniam nihil faciendum fuit mihi hodie, adivi domum amici mei Rolandi.

Preasenti tempore, ne quid mentiar, Rolandus est amicissimus mihi, sed potest semper fieri ut alium in locum eius substituam.

Revera ipse aliquid tam molestum mihi fecit ut ego eum evitarem usque ab initio anni scholaris.

Quodam die scholari expleto, dum res nostras ex loculamentis excipiebamus, Rolandus mihi accessit dicens:



Iam sescenties exhortatus sum Rolando ut diceret "morari" potius quam "ludere", quia studentes in schola media non "ludunt" sed "morantur". Sed quamvis pluries eum commonuerim de re, numquam in animo tenet.

Inde ab initio scholae mediae, multum curo famam meam. Rolando tamen me circumstante, haud facile est.

Rolandum vero primum conveni abhinc paucos annos cum familia eius migravit in nostram viciniam.


Mater eius emit ei enchiridion inscriptum "Quomodo in Gratiam Aliorum Venire," et venit domum meam ut ista artificia novis amicis sibi coniungendis probaret.



Dolebam igitur vicem Rolandi et constitui eum in tutelam meam asciscere.

Gaudeo quidem me ascivisse eum, quia omnibus dolis quibus Roderigus ME fallit, Rolandum fallere possum.

SI MANUS TUA MAIOR EST
FACIE TUA, SIGNUM EST
STULTITIAE, SCIVISTINE?




ITANE?

HEM!



SUMNE AUTEM
STULTUS?

nescio. fac
ut iterum
id probem!




Die Lunae

Recordarisne me dixisse quod multis dolis fallo
Rolandum? Equidem habeo fraterculum nomine
Emmanuelem quem NUMQUAM in fraudem inducere
possum quinimmo parentes me obiurgant.

Mamma et Tata Emmanuelem protegunt tamquam
si princeps esset vel aliquis huiusmodi. Insuper
etiam numquam, quamvis meritum, obiurgant eum
parentes mei.

Heri, exempli gratia, ille atramento diuturno pinxit
effigiem sui in ianua cubiculi mei. Ego exspectabam
magnam obiurgationem a parentibus meis, sed nihil
fecerunt ei.




EHEM!

Quod molestius est, ille imposuit agnomen mihi quod odio habeo. Cum parvulus esset, Emmanuel nequivit verbum "frater" pronuntiare, quamobrem "fatti" proferebat. Et hoc nomine ETIAMNUNC me appellat, etiamsi continenter adhorter matrem meam patremque meum ne ille id faciat.

Feliciter accidit ut nemo ex amicis meis compererit istud agnomen, sed credas mihi, nonnumquam quasi accidit.

FELIX DIES NATALIS TIBI!


EHO! HOC
DESTINATUM EST
AD "FATTI"!



ALIQUIS, UT
VIDETUR, MENDUM
FECIT.



Mater iubet me quotidie Emmanuelem adiuvare ut se ad scholam praeparet. Acetabulo cereali a me impleto, ille exit in sessorium, sedet super matella euplastica et televisorium spectat.



Et cum tempus est ei exeundi ad hortum infantium, Emmanuel surgit, in balneum init et omnia quae nondum edit in latrinam deponit.




Immo mater mea indesinenter exhortatur me ne unam micam ientaculi relinquam. Sed tamen si deberet MAMMA assulas cerealis ex orbe latrinae detergere, etiam EI deesset ciborum appetentia.

Die Martis

Nescio an id iam notaverim, sed CALLIDISSIMUS sum lusor videolusuum visificorum. Vos reapse sponsione provoco neminem in classe mea callidiorem esse.


Tata, proh dolor, haudquaquam recte aestimat meam sollertiam. Semper adhortatur ut foris ludam.

Qua de re hodie vesperi, cena sumpta, cum primum ille commonefaceret me de hac re, conatus sum ei explanare quod ego, videolusibus adiutus, pedifolli, more tam Americano quam Europaeo, ludere possum sine sudore.



Sed, ut semper fit, quoad logicam attinet, tata nihil intellexit.

Ne fallaris, ipse tamen plerumque intellegens mihi videtur, sed nonnumquam miror quod cor omnino non habet.




Non dubito quin, si systema lusorium meum enodare posset, id disiungeret. Sed fabricatores horum apparatusum tam callide eos construxerunt ut adulti nesciant quomodo disiungere eos.



Quotiescumque Tata me eicit e domo, domum Rolandi adeo quo tranquillius videolusibus ludere possim.

Infeliciter autem fit ut, domi Rolandi, nullis videolusibus nisi iis sine violentia possimus ludere, tamquam certamine curruli autocinetorum.

Quoniam quandocumque affero videolum ad domum Rolandi, pater eius aliquem in situm interretialem se refert ut certiozem se faciat an lusus nimis violentus sit. Et cum semper violenti sint videolus mei, vetat ne iis ludamus.




Ut verum dicam, taedit me iam videolum Rolandi, quia Rolandus non tam serio de videolusibus agit quam ego. Quandocumque enim ludimus certamine curruli autocinetorum, facillime vinco si nomen iocosum autocineto meo impono.

Deinde Rolandus totiens ridet quotiens nomen autocineti in quadro televisifico apparet.



Rolando in videolusibus ludendis a me trudicato, domum meam petivi. Sed priusquam domum adveni, bis vel ter caespitis spargilla vicinorum transcurri ut, cum Tata videret me madidum, crederet me sudasse ob cursum continuum.




Frustra autem id feci, quia cum primum vidit me
Mamma, iussit me balneo pensili uti.

Die Mercurii

Tata, ut mihi videtur, gavisus est quod heri me
foras compulerat, quia me compulit foras etiam
hodie.

Molesto fero quod domum Rolandi petere debeo
quotiescumque videolusu ludere volo. Nam prope
domum Rolandi habitat quidam puer ineptus,
nomine Federicus, qui, cum semper in area ante
domum suam moretur, difficile evitatur.



Federicus, qui condiscipulus est meus in exercitu
gymnico, loquitur lingua ficta. Quandocumque,
exempli gratia, necesse est ei in latrinam ire, dicit:



Nos discipuli iam enodavimus hanc linguam, sed
magistri nondum solverunt eam.




Hodie, etsi nollem, adirem utique ad domum Rolandi,
quia grex musicorum, ad quem frater meus pertinet,
exercitationem in cella nostra faciebat.

Iste grex magno cum STREPITU sonat ut, quandocumque exercitationes domi facit, domi prorsus manere non possim.

Hic musicorum grex vocatur "Subligar Infantile Spurcatum", quamquam Rodericus depinxit "Subligar Infantile Spurkatum" in autocineti onerario suo.


Fortasse censes Rodericum ita scripsisse ut nomen gregis eius formidulosius pareret, sed si rogavero eum quomodo recte scribatur, dubito quin sciat.



Tata adversatus est Roderigo cum vellet gregem musicorum convocare, sed Mamma omnino ei favit.

Mamma quidem fuit prima quae apparatus tympanorum donavit Roderigo.


Illa, ut credo, vult gregem musicorum constituere ex familia nostra, similem illis gregibus cognatis quos in spectaculis televisificis vides.



Tata re vera in odio habet musicam metallicam gravem, sed hoc sonat Roderigus cum grege suo. Mamma, nisi fallor, haud curat genus musicae quod grex Roderigi vel sonet vel auscultet, quia, iudicio eius, omnia genera sunt aequa. Cum quidem Roderigus discum compactum auscultaret mane in exedra, Mamma advenit et coepit saltare.



Quo facto Roderigus, valde exercitatus, in tabernam radiophonicam exivit et conchas auditorias emit; quibus in auribus impositis tranquilliore animo musica sua fruebatur.




Die Iovis

Heri Roderigus accepit novum discum compactum musicae metallicae gravis in quo affixum erat pittacium "Monitum ad Parentes" inscriptum.

Equidem nullam occasionem hucusque sum nactus his discis auscultandis, quia Mamma et Tata non concedunt ut eos emam. Qua re clare patet me numquam auditorum nisi discum compactum Roderigi clanculum e domo auferam.

Hac ideo mane Rolandum vocavi eumque rogavi ut discophonum suum afferret in scholam.

Deinde in cubiculum Roderigi ivi ad discum compactum a pluteo excipiendum.




Cum nefas sit discophona in scholam portare, oportuit nobis expectare donec, prandio sumpto et magistris intus manentibus, foras exiremus. Cum primum latere potuerimus, discum in discophono imponimus.

Frustra autem, quia Roderigus oblitus erat discophonum pilis electricis instruere.


Ego vero lusum iocosum confestim finxi. Obiectum lusus fuit, conchis auditoriis in auribus impositis manibusque in sinibus immissis, caput quaterere donec conchae de capite caderent.

Qui celerius conchis se liberavit, vicit.



Inter nos duos, ego celerrime liberavi me conchis. Equidem id feci intra septem temporis minuta, quamvis nonnullis impletionibus dentium fere excussis.

Magistra Craig statim nobis ludentibus occurrit deprehenditque nos flagranti delicto. Discophonum eripuit et nos incepit increpare.



Male autem intellexit quid faceremus illic. Etenim obiurgavit nos de malo musicae metallicae gravis monuitque nos ne cerebra nostra corrumperemus illam auscultando.

Ideo eam certiozem facturus eram discophonum pilis electricis re vera carere, sed palam noluit interpellari. Itaque expectavi donec finem sermoni faceret. Quo facto, "fiat, Domina mea", dixi.

Sed ipso temporis momento cum nos relictura sit, Rolandus interruptit clamans se "cerebra sua" nolle corrumpere de musica metallica gravi.



Ut verum dicam, iste puer hebes interdum obstudefacit me.

Die Veneris

Vae mihi! Malum grave feci.

Proxima nocte, ceteris dormientibus, clanculum in exedram ivi ad discum compactum Roderigi auscultandum.


Disco compacto in instrumento stereophonico inserto sonoque MAXIME aucto, conchas auditorias Roderigi auribus imposui et malleolum ad id sonandum tetigi.



Ante omnia, liceat mihi dicere rationem planissime patere qua id pittacium "Monitum ad Parentes" in disco affixerunt.

Sed solummodo brevi tempore auscultavi discum antequam interruptus sum.


Accidit ut conchas auditorias ad instrumentum stereophonicum non adhexerim. Ideo musica per ECHEA sonabatur, non per conchas auditorias.



Tata coegit me ad cubiculum meum, ianuam claudit et dixit:



Quandocumque Tata appellat me "amicum", scio me nimirum discrimini commisisse. Sed cum primum Tata vocavit me "amicum" isto modo, nesciebam id mordaciter dixisse. Ideo animum relaxavi.




Posthac istuc mendum numquam feci.

Hac nocte Tata, nil nisi braciis interioribus indutus, me diu increpavit antequam cubitum revertit, quandoquidem ipse voluit, nisi fallor, magis in lecto quam in cubiculo meo stare. Prohibuit me denique lusibus visificis per duas hebdomades ludere. Confiteor vero me gaudere quod ille poenam peiorem non iniunxit mihi.


Gaudeo insuper quod, quotienscumque Tata irascitur, furor animi cito resedit, et brevi confectum est.

Si malum facio in conspectu eius, Tata morem servat quicquid in manu habet ad me coniciendi.

TEMPESTIVE MALUM FACERE




INTEMPESTIVE MALUM FACERE



Mamma e converso servat ALIUD modum castigandi. Nam si malum facio et Mamma deprehendit me, paucos dies supplicium prorogat donec poenam excogitet mihi iniungendam.

Quapropter multa bona interim facio ut illa poenam molliorem iniungat mihi.




Post aliquot dies, cum primum de memoria mea excidit me peccavisse, Mamma iniungit mihi poenam.



Die Lunae

Difficilius est quam putavi persistere sine videolusibus per unam hebdomadam. Attamen non solus sum qui domi poenam patior.


Etenim Roderigus magnum malum fecit. Nam fraterculus Emmanuel reperit quandam ephemeridem de musica metallica gravi, in qua imago invenitur mulieris vesticulam balnearem gerentis et super ploxenium autocineti cursorii iacentis. Atque Emmanuel hanc in scholam attulit demonstrandam.



Mammae, ut opinior, haud placuit telephonema quo certior facta est de re.

Ego quidem eandem ephemeridem vidi, et imaginem tam molestam esse non puto. Sed ephemerides huiusmodi non admittit mater mea in domum.

Ut Roderigus recte puniretur, Mater mea iussit eum ad rogata respondere.



Reddiditne haec ephemeris te hominem meliorem?

Non.

Fecitne ut gratiam inires ab amicis in schola?

Non.

Hac ephemeride a te empta, quomodo nunc te habes?

Me paenitet.

Visme aliquid dicere mulieribus quas hac ephemeride offendisti?

Veniam a vobis peto, mulieres.

Die Mercurii

Quia non licet mihi videolusibus ludere, his diebus Emmanuel utitur instrumento lusorio meo. Etenim mater mea emit ei multos ludos didascalicos quorum, quandocumque ludit, multum me taedet.



Sed gaudeo quod nonnullos discos meos ad domum Rolandi afferre possum si eos includo in thecis discorum Emmanuelis, sicut, exempli gratia, illius nomine "Disce litterarum ordinem".




Die Iovis

Nuntiatum est in schola hodie quod comitia ad concilium discipulorum eligendum mox habebuntur. Ut verum dicam, parvi mea refert hucusque concilium discipulorum. Sed omnibus perpensis, puto me gratiam apud multos multasque studentes initurum iri si arcarius electus ero.

NOS CLAMORUM
INSTIGATRICES FESSAE SUMUS
QUOD IN EADEM AUTORAEDA
LONGA VEHIMUR CUM INEPTO
GREGE MUSICORUM.

HMM ...
FACIAM
QUOD
POTERO.



Vel melius ...

OPUS EST NOBIS
ATHLETIS SOLUMMODO
ANTLIA QUA PEDIFOLLEM
INFLARE POSSIMUS.

O! IGNOSCATE
MIHI, QUAESE,
SED IN ISTA RE
ADIUMENTUM
VOBIS ADFERRE
NEQUEO.



Nemo, ut videtur, officium arcarii cupit, quia omnes petunt officia maiora tamquam Praesidis vel Propraesidis. Puto quidem quod facillime vincam si officium petam arcarii.

Die Veneris

Hodie nomen meum adscripsi in tabulam candidatorum qui officium arcarii petunt. Aliqui puer nomine Martinus Porter idem officium praeter spem petit. Quapropter petitio non erit tam facile quam putavi.

Cum patrem meum certiorem fecerim de petitione mea, multum, ut opinor, est gavisus. Accidit ut ipse officium petiverit in consilio discipulorum cum aetatem meam agebat, et id re vera adeptus est.

Tata deinde eruit de rebus suis folium murale quo usus est dum ambiebat.




Dixi ei usum folii muralis, meo iudicio, bonum esse, et rogavi eum ut me ad tabernam chartariam autocineto duceret ut res necessarias emerem ad folia similia delineanda. Multis foliis et peniculis ornatus, vesperi incubui ut perficerem multa folia muralia, itaque spero fore ut adiumento sint mihi in officio adipiscendo.

Die Lunae

Hodie mane folia muralia in scholam attuli et, ut verum dicam, haud mala sunt facta.



Folia muralia in parietibus scholae suspendi.
Sed postea aliquanto Propraeses Roy ea
conspexit.



Ipse dixit mihi quod non licet candidatis
"commenta" propogare de aliis candidatis. Ideo ei
respondi Martinum reapse habuisse pediculos in coma
sua, ita ut schola fere clauderetur.

Ille tamen abstulit omnia mea folia muralia. Quo
pacto, foliis muralibus in excipulo purgamentario
Propraesidis iacentibus, Martinus Porter dulcia
distribuebat ut summum numerum suffragiorum
acciperet. Sic factus est cursus honorum meus in re
publica.

MENSIS OCTOBRIS

Die Lunae

Mensis Octobris iam advenit, et trigesimus dies est
ante vigiliam Omnium Sanctorum. Etenim inter omnes
dies festos, haec vigilia MAXIME mihi placet,
etiamsi, sententia matris mea, non decet pueris meae
aetatis ostiatim ambire ad dulcia colligenda.

Tatae quoque maxime placet vigilia Omnium Sanctorum,
sed aliam ob causam. Noctu enim illius festi, aliis
parentibus dulcia et cuppediis pueris porrigentibus,
Tata abscondit se in fruticibus et, situla aquae
armatus, adulescentes exspectat quibus insidari possit.

Quispiam adulescens aditum nostrum transiens valde
madedactus erit.

